

utraque mirabile est, quod etiam injurias obrectationes, & ex malitia procedentes, contemnant, si quis forte in eas aliquo dolore motus proruperit. De algun grande tuerto, que oviese recibido del Rey, por mengua de justicia que le non quisiese cumplir, o por grande maldad, que toviese en su corazon raigada con mal querencia contra el Rey.

30 Quibus non adversantur alia constitutiones (p), quae de famosis libellis contra Principum, imo & privatorum honorem vulgatis, acriter inquiri praecipunt, & male, & injuriose de Principibus obloquentes, perinde delinquo, ac si eos occiderent, docent; vel saltem ex indulgentia lingua multandos. De manera, que nunca con ella fabien. Nam in hoc, ut & in aliis, Prudentiae sale opus est, & ut Martianus, I. C. ait (q), nec aut severitatis, aut clementiae gloria affectanda, sed perpenso judicio, prout quaeque causa expostulaverit, statuendum.

31 Nos enim, qui Principem vulgi latratus, & obrectationes spernere commonemus (quod ut Cassiodorus (r) ait, Vociferatione pascitur) non idem ejusdem libidini omnes maledicendi frenos laxamus; satis enim cognoscimus, nihil magis Principibus, quam sui contemptum esse cavendum, & res eas omnes, quae sui existimationem minuere possint, & in hujus conservatione verissimum, ac potissimum cujusque Imperii, & Dominationis fundamentum consistere, summaque imis confundi, ut Tacitus (s) ait, ubi ejus reverentia animos excessit. Maxime cum juxta Sidoni Apollinaris (t) sententiam, Improborum probra aequae, ac praeconia bonorum immortalia maneat, & Daphidam apud Suidam (u), & alios, in monte Thorace laqueo suspensum legamus, quod in more habuit suis carminibus Regum actiones mordere. Ex quo in rem nostram Emblema quoddam construxit, & pluribus ornavit D. Joannes Horoscus (x) Covarruvias, Sub lemna Principibus non maledices, quod sic habet.

Daphidas el Gramatico atrevido,
En el monte Thoraz veis aborcado,
Porque con libertad ha pretendido
Decir mal de los Reyes, y fue osado
En sus perversos versos desmedido,
Contar quanto mal de ellos ha soñado:
Tal castigo mandaron se le diese,
Porque esto a los demas exemplo fuese.

Clementem igitur, non Dementem in similibus causis Principem cupimus, & qui ex personae, loci, temporis scommatum, obrectationum, libellorumve qualitate, mentem animumque obrectantium dignoscere possit, & an quae dicta scriptave esse comperit, in gravi Regiae dignitatis, vel Regni detrimentum vergere possint, & Majestatis laesae nomen, ac supplicium mereri. Prout aperte aedem Sanctiones ostendunt, quae Imperatores, & Reges ad ejusmodi injurias cui simulandas, vel remittendas hortantur; cum tandem in calce concludant. Integris omnibus, hoc ad Principis scientiam referri debere, ut ex personis hominum dicta pensentur, & utrum praetermitti, an exequi debeat censere possit.

32 Unde merito Jacobus Menochius (y) post longam, & doctam hujus articuli tractationem, Arbitrarium esse resolvit, & Scipio Gentilis (z) eleganti de eodem, ad utramque partem oratione habita, eandem distinctionem admittit. Vellemque, ut omnes Principes pari confidentia, ac Titus Imperator apud Xiphilinum (a), de se dicere possent. Nemo me injuria adficere, vel insequi contumelia potest, propterea quod nihil ago, quod reprehendi mereatur. Ea vero quae falsae de me dicuntur, prorsus negligo, vel illud Senecae (b) memoriae mandarent, qui inter alias plures similes sententias, sic habet. Magnam fortunam, magnus animus decet, cujus est proprium placidum esse, tranquillumque, & injurias, atque offensiones semper despiciere. Et iterum alio (c) in locum, Magni animi est injurias despiciere. Utionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum ex quo petatur ultio. Multi leves injurias altius demisere, dum vindicant, &c. Cum quo mire consonant Philemonis Comici versus, quos Gregorius Bersmanus, ita Latinos fecit.

Haud auribus contentus est jucundior,
Quam devorare criminantis jurgia.
Nam mussitando siquis haec redarguat,
Ipsam refutant criminantem crimina.

EM-

(p) L. unic. C. de famos. libel. ubi DD. L. 4. tit. 13. par. 2.
(q) L. respiciendum 11. D. de pan.
(r) Cassiod. lib. 2. epist. 27.
(s) Tacit. & plures apud Canonber. 1. tom. aph. Polit. pag. 439.
(t) Sidon. lib. 5. epist. 8.
(u) Suid. in dist. verb. Daphid.
(x) Horos. lib. 3. Emb. 25.
(y) Menoch. de arbitr. casu 377.
(z) Scip. Gen. ubi sup.
(a) Xiphil. in Tit.
(b) Senec. de Clem. lib. 1. cap. 6.
(c) Idem lib. 2. de ira, cap. 32.

EMBLEMA XCIX.
BEATUS ANTE OBITUM NEMO.



Dum Cressus memorat moriturus dicta Solonis,
Mitior in captum, vivere Persa juvet.
En Geminos una haec docuit sententia Reges:
Felix ante obitum nullus habendus erit.
Disce hinc qui laudas, Fata expectare Potentis,
Ne Mors condemnet, quae sua vita probat.

COMMENTARIUS.

Itam Nostram Mimum, & velut Scenam theatralem esse, Mortem autem ultimum hujus Scenae actum, sive catastrophem, quae aperit, an in comaediam, vel in tragediam Fabula desinat, veterum circumfertur Adagium (a). Et ad hoc alludens Licinius merito dixit.

Scena est vita, ludus: vel vivere disce
Abiciens curas, vel tua damna pati.

Et Augustus Caesar, dum paulo ante obitum, auctore Tranquillo (b), amicos percontatus est, Ecquid his videretur Mimum vitae commodè transegisse?

Et Seneca (c) inquires, Quomodo fabula, sic & vita: non quamdiu, sed quam bene acta sit refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocumque voles desine, tantum bonam clausulam impone. Neque aliud sensit Aeneas Sylvius (d) dum dixit, vita nostra re vera, nihil aliud quam comedia, cujus ultimus actus ne morte agitur, & magis in rem nostram Ludovicus Vives (e), sic inquires. Comedia est vita humana. Est enim oeu ludus quidam, in quo unusquisque agit personam suam. Danda est opera, ut moderatis affectibus transigatur: ne cruenta sit catastrophe, Pfff aut

(a) Erasm. in Adagis pag. 265. & 716.
(b) Sueton. Tranquil. in August. cap.
(c) Senec. epist. 78.
(d) Aeneas Sylv. in notis ad Panormitan. lib. 3.
(e) Vives in Satellit.

aut funesta, qualis esse solet id Tragediis, sed leta, qualis in Comediis.

2 Valerius quoque Maximus (f) eandem disciplinam nobis exhibens, inquit. *Humane vitæ conditionem præcipue primus, & ultimus dies continet: quia plurimum interest, quibus auspiciis incobetur, & quo sine claudatur. Ideoque demum felicem fuisse iudicamus, cui, & accipere lucem prosperè, & reddere placidè contigit. Medii temporis cursus, prout fortuna gubernaculum rexit, modò aspero, modò tranquillo motu peragitur, &c.* Et in idem tendens Justus Lipsius (g), sic, non minùs eleganter scripsit. *Nihil hic diuturnum, in fabulis prodeunt Reges, Satrapæ, alia officia, & quidam satellites, ac personæ in speciem, & multæ. Ecce alii diutius ex eis hærent in Scena, & loquuntur: alii ostendunt se tantum, & nec vocem edunt: simile nobis est, vario munere, aut dignitate in Theatrum hoc Universi mittimur; alii silentio transimus, aut ostendimur tantum. Nihil tamen deterior, qui vili veste, qui non diu hæstet, quam ille, qui Regem, ut longum carmen egit. Apud Deum vita longa, non optima, sed innocentissima.*

3 Quod quidem idèd præmittere volui, ut intelligant Principes, & ceteri, qui clavum Reipublicæ tenent, parum se profecisse, si initio, vel medio gubernationis, virtutibus, & præclaris documentis, de quibus hucusque egimus, quibusque præditos, & instructos esse desideramus, sedulam operam navent, nisi & hanc in ultimum quoque vitæ actum pari cura, & studio deducant, qui palmam in fabulis poscit; & æquabili cursu ad candidam illam metam decurrant, in qua qui usque in finem legitimæ certaverint, secundum Apostolum (h) coronantur,

4 Sunt enim plures, qui, ut Tacitus (i) ait, *Acribus initiis, incuriosum tamen fine se in his muneribus habent, & merita atque ornamenta præcedentis ætatis, quæ singillatim, diuque optimis moribus, & actionibus collegerunt, postmodum in ultimis ejusdem periodis, in vitia, vel desidiam prolapsi, malo exitu universa subvertunt, & quidquid gloriæ, quidquid laudis pararunt, hac catastrophe obruunt, ut Saule, Salomone, & alii Sacræ literæ notant, & Profane in Annibale, Tiberio, Nerone, Vitellio, Galba, Luculo, Metello Pio, & aliis passim ostendunt. Simul significantes, paucos esse, quorum virtus sciat, cum felicitate luctari, plurimos autem, qui in felicitate positi, ab ipsa demum felicitate vincuntur.*

5 Quod causam præstitit Tacito (k), ut absolutè dicere potuerit, solum Vespasianum, omnium ante se Principum, in melius post imperium mutatum.

6 Cum tamen qui rectè sapiunt, animadvertere debeant, in virtutibus, & gloriosis actionibus, non progredi, regredi esse, hasque ab exitu judicari. Indeque vel in Adagium (l) transiisse, *Finem vitæ expectandum*, hic est enim, qui totam vitam honorat, *Et ante mortem neminem Beatum dici posse*, ut de Actæone loquens dixit Ovidius (m).

Sed scilicet ultima semper

Expectanda dies homini est, dicitque beatus

Ante obitum nemo, supremæque funera debet.

Quam etiam sententiam Ausonius sic carmine Trochaico expressit.

Dico tunc vitam beatam, fata cum peracta sunt.

Et in eandem tendens Sophocles (n), jam suo tempore proverbialem fuisse ostendit, sic inquit:

Vetus inter homines extat hoc Proverbium

Haud posse quemquam, quempiam cognoscere,

Bonus an malus sit, antequam fatalibus

Defunctus annis, ultimum obierit diem.

7 Similia passim Euripidis, Heraclidis Diphili, & aliorum Græcorum, & Latinorum Poetarum (o) carmina extant, sed omnia superant verba Divi Ambrosii (p) dicentis. *Si laudari ante gubernator non potest, quàm in portum navem deduxerit: quomodo laudabis hominem, prius quàm in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, & ipsæ vitæ hujus jactatur profundo. Quamdiu in salo est, tamdiu inter naufragia. Dux ipse, nisi confecto prælio non sumit lauream, nec miles arma deponit, nec stipendii mercedem adipiscitur, nisi boste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est.*

8 Præclarè quoque, & magis ad intentum nostrum, Divus Augustinus (q), illud Apostoli (r), quod jam citavimus, explicans, ubi non posse coronari docuit, nisi qui legitimè certaverit, inquit. *Nullus legitimè certat, nisi qui in campo, usque ad finem certat: & si certat usque in finem, idèd meritò coronatur: non est igitur magnum bonum incobare, quod bonum est; sed consummare, hoc solum perfectum*

(f) Valer. Maxim. lib. 9. cap. 12.

(g) Lips. in cent. Miscel. epist. 29.

(h) D. Paul. 2 ad Timoth. 2. 5. D. Math. 24. 14.

(i) Tacit. an. 4. Brantius de Senat. lib. 2. cap. 24. Ego

2. tom. lib. 4. cap. 4. num. 6.

(k) Tacit. 1. histor. 16. ann. vide Raderum ad Curt.

pag. 27.

(l) Erasmi. in his Adag. pag. 116. & 574.

(m) Ovid. 3. Metam.

(n) Sophoc. in oedip. & in Trachin.

(o) Eurip. in Andron. Heraclid. in Troadib. Dyonis. Ty-

ran. in Leda.

(p) D. Ambros. lib. 1. de bon. mort. cap. 9.

(q) D. August. in epist. D. Paul.

(r) D. Paul. 2. Timot. 2. 5.

tum est: multi enim egrediuntur magna, sed deficiunt in via, multi exeunt in desertum, sed pauci perveniunt in terra promissionis.

9 Et eandem doctrinam Emblematicè insinuare volens Florentius Schoonhovius (s), sub lemmate *Exitus acta probant*, quod ex Ovidii carmine (t) sumpsit, capram depingit, quæ lac, quod ubertim in multra infuderat, pedibus postea inversis, humi refundit, his versibus additis.

Distento petulans lac quod dedit ubere capra,

Calcibus invertens multra refundit humi:

Sunt similes capræ, qui turpi crimine vitæ

Postmodò denigrant, quæ benè capta prius.

Hujus rei duas cause statuens; Primam, ingenium humanum, quod à labore proclive est ad otium; Secundam, honorem, & Potentiam, quæ sæpè impotentiam creant, & à veteri illa via & vita seducunt, sicut cæli inferiores à supero illo abripiuntur, & quamquàm contra nitentes, tamen obsecundant.

10 Saavedra autem Noster (u), metas proponit, sive lapides terminales, quibus stadium distingui solebat, in quorum medio Corona conspicitur, cum titulo, *Qui legitimè*, sic Principes instruens, ut antactæ vitæ laudabilem cursum ad metam, usque mortis continuent, si debitum sibi famæ, & gloriæ bravium consequi velint. *Porque no se corona sino al que legitimamente llegò à tocor la ultimas metas de la muerte; i la cuna no florece, basta que ha florecido la tumba, y la famas el ultimo espíritu de las operaciones, las quales reciben luz, y hermosura della.* Quod idem alet, atque illud Antagenis (x). *Ita vivendum esse hominibus, ut vivi laudabiles sint: mortuū autem Beati judicentur.*

11 Ego autem, quic documento, illud etiam conjungere volens, nequis dum vivit, prosperis rerum successibus superbiat, & efferatur, Beatumve se prædicet, aut existimet, cum ut noster Seneca (y) ait *Neminem ilesum fata transmittant*, & tunc demum extra ictus fortunæ constituamur, cum aimā nostrā hoc corporis carcere emissa, in cælum, unde duxit originem, evolarit, vulgatam quidem, sed omni ævo ab omnibus summè celebratam, & commendatam Cressi, & Cyri historiam ob oculos pono, quam jam pupugi supra (z), & latè Herodotus (a), Plutarchus (b), Ausonius (c), Gallus, & alii passim Scriptores enarrant. Etenim cum Cressus Lydorum Rex, arrientis sibi fortunæ ventis inflatus, & multis divitiis onustus, à Solone ro-gasset, an ne cum ètatum existimaret? Hicque ejus pariter superbiam, ac gazas despiciens, liberè respondisset, e eos solos Beatos felicesque reputare, quibus Deus ad mortem, usque felicem vitam tribuisset, & ob hoc responsum, tunc Cressi erga se animum irritasset, postea, cum à Cyro victus visset, & pyræ cremandus imponeretur, veritatem dicti Solonis proprio in-faustoque experimento cognoscens, exclamare cœpit, *ò Solon, Solon.* Quo audito cum Cyrus causam talis exclamationis interrogasset, ut verbis Ausonii utar.

Seriem per omnem cuncta Regi edisserit:

Miseratur ille, vique fortunæ videns,

Laudat Solonem, Cressum in amicis habet,

Vinctumque pedicis aureis secum jubet

Reliquum quod esset vitæ, totum degere.

Ad quam historiam alludens, etiam Juvenalis (e) dixit.

Quem vox justi facunda Solonis

Respicere extremæ jussit spacia ultima vitæ.

Et Noster D. Sebastianus de Covarrubias (f) ex eodem aliud Emblema simile nostro, & à me post hæc scripta visum, formavit, cum lemme ultima semper expectanda dies, & hoc carmine non indigno relati.

Ninguno por mas rico, y poderoso

Que sea en esta vida, no se atreva

A usurpar el nombre de dichoso,

Pues de razon no hay à quien se deba.

Antes que el desdichado, ó venturoso

Dia postrero, que à la fin nos lleve,

Declare, i asegure con la muerte,

De cada qual, la buena, ó mala suerte.

Ffff 2

(s) Schoonhov. Emb. 4.

(t) Ovid. epist. 2.

(u) Saaved. Emblem. 00. pag. 730.

(x) Antag. apud Anonum in Melitra part. 2.

(y) Senec. de remedior.

(z) Supra Emb. 6.

(a) Herod. lib. 1.

(b) Plutarc. in Solon.

(c) Auson. in Lud. Sep. Sap. in Solon.

(d) Auson. ubi supr.

(e) Juven. Satyr. 10.

(f) D. Sebasti. Covar. cent. 1. Emb. 98.

Ejusque certitudinem, paulò post, & adhuc infelicis, ipse Cyrus in se ipso cognovit, ubi trans Araxem fluvium, cum ducentis millibus Persarum, à Scytharum, sive Massagetarum Regina Tomyri, tam fœda occisione occisus est, ut ne nuntius quidem tantæ cladis superfuert: capite deinceps ejus in dolium sanguine plenum demerso, & hoc inter mergendum elogio addito, *Satia te sanguine, quem sitiisti*, ut post Herodotum, & alios Sabellicus (g) memorat. Usque adeò Lyrici, & aliorum obtinet, cum quibus suprâ (b) probavi.

Fortunam nunquam perpetuò esse bonam,

13 Ad Solonis autem monitum respiciens Epaminondas, ut Plutarchus (f) enarrat, interrogatus, quem arbitraretur Ducem præstantissimum, se ipsum ne, an Chabriam, an Iphicratem? Id (inquit) *judicatu difficile est, donec vivimus*. Et idem, ipse idem Plutarchum (k) refert, de Agesilao, qui audiens quemdam, Persarum Regis, adhuc juvenis, admirari felicitatem, respondit. *Nondum vitæ finis adest, vir optimè. Nam ne Priamus quidem, cum ejus esset ætatis erat infelix, qui tamen miserè, jam senex Trojano incendio ultimum clausit diem*. Et Ælianus (l) narrat Simonidem Ceum, superbienti Pausaniæ Lacedæmonio dixisse, *Quod homo esset, meminisset, quod cum tunc parum curasset, postea fame moriens, magnis vocibus inclamavit, ò Cee bospes, magnum quiddam in tuo sermone inerat. Ego verò inani persuasione eram adductus, id eum nullius momenti putarem*. Friderico etiam Imperatori frequentem hanc fuisse sententiam. *Id demum esse bonum, cujus finis, aut exitus bonus est*. Eaque ferocientem, & nimium superbientem quemdam Ducem Wittembergensem compescuisse, Æneas Sylvius (m), & Philippus Camerarius (n) recensent.

14 Nam ut prudenter Tragicus (o), inquit.

*Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies fugiens vidit jacentem
Nemo confidat nimium secundis.*

Et Ovidius (p), istud idem exemplis declarans, sic optimè canit à nostris Cresso incipiens.

*Divitiis audita est cui non opulentia Cressi?
Nempe tamen vitam captos ab hoste tulit.
Ille Syracusia modò formidatus in urbe,
Vix humili duram repulit arte famem.
Quid fuerat magno majus? tamen ipse rogavit,
Summissa fugiens voce clientis opem.
Cuique viro totus terrarum parvit Orbis,
Indignus effectus omnibus ipse magis.
Ille Jugurthino Clarus, Cymbroque triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit.
In ceno Marius jacuit carnage palustri,
Pertulit, & tanto multa pudenda viro.*

15 Et ob hanc morum, vel fortunæ mutabilitatem, quæ dum quis vivit contingere solet, & potest, ita ut ex bono in pravum degeneret, vel ex summa felicitate, in summam miseriam prolatur, justè monemur in Ecclesiastico (q). *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*. Quo ultimi nostri Emblematis versus spectant, & vetus illud Chilonis, qui fuit unus ex septem Græciæ sapientibus, monitum, *Defunctum lauda*, cujus mentionem facit Volaterranus.

16 Cui rationi illa etiam adjici solet, quod secundum Aristotelem (r) viventes, & Potentes laudare, adulationis periculo subest, vel laudati modestiam offendit, quod in mortuis timeri non potest, ut Divi Augustinus (s), & Ambrosius (t), docuerunt, dicentes, *Ibi esse à vanitate remotam laudationem, ubi etiam vituperatio ab offensione secuta est, & nec laudantem adulatione movet, nec laudatum tentat elatio*. Et Pescennius Niger, de quo memorat Spartianus (u), quòd cum ei Imperatori creato, quidam Panegyricum recitare vellet, Imperator respondit. *Scribe laudes Marii, vel Annibalis, vel alicujus Ducis optimi, vita functi, & quidquid ille fecerit, ut eum nos imitemur*. Nam *viventes laudari irrisio est; Maxime Imperatores, & maxime de quibus speratur, qui timentur; qui præstare publicè possunt necare, qui proscribere, se autem vivum placere velle, etiam mortuum laudari*.

Un-

(g) Sabellicus. Enead. 6. cap. 5.
(h) Horat. & alii apud Me, supra Emb. 5.
(i) Plutarch. id apoph.
(k) Idem, ibid.
(l) Ælianus. de variis histor. lib. 9. cap. 41.
(m) Æneas Sylv. in notis ad Panormitan. lib. 4.
(n) Camer. 3. subcer.
(o) Senec. in Agam. act. 1. scet. 1.
(p) Ovid. de Pont. lib. 4. eleg. 3.

(q) Eccles. 11. 30. vide alium Adagium sapientia in exitu canitur, ex Sylviano inter Adag. Erasmi. pag. 609. Plat. lib. 7 de Repub.
(r) Arist. 2. id ipse videtur sentire. Tacit. 1. ann. Arrian. in princ. sue histor.
(s) D. Augustin. in epist. ad Dioscor.
(t) D. Amb. in nat. 5. Euseb.
(u) Spart. in Pescen.

17 Unde, & Ammianus (x) Marcellinus scripsit, *Ea demum laus grata esse debet excelsæ potestati, cum interdum, & vituperationi secus gestorum patet locus*. Quod prorsus convenit cum alio Agesilai, apud Plutarchum (y) apophthegmate, & nostro Joanne de Mena (z), dum cecinit.

Mas de presentes hablar no me toca,

Verdad lo permite, temor lo devieda.

Ubi ejus Commentator alia congescit. Et Trajanus Boccalinus (a) tantum in hanc partem inclinat, ut Appollinem in Parnasso, ita statuentem inducat. *E per exterminar dal mondo il nefando vitio dell' adulatione, à la quale con infinito dolor nostro veggiamo i nostri virtuosi molto inclinati, espressamente comandiamo, che à Scrittore alcuno non sia lecito pubblicare vita di qual si voglia Heroe, anchor che egli sia morto*. Contentando ci che de gli buomini vivi solo si possa far mentione nell' historie universali, ò in un breve elogio particolare.

18 Quæ quidem rationes, & auctoritates me superioribus annis ancipitem reddiderunt, à Magno quodam, mihiq; amicissimo viro consultum, an ei licitum, & honestum videri posset, de gravissimo alio, & in magno fastigio posito, historiam, rerumve, quas gerebat, diariam, hebdomadariamve relationem, typis excusam, in vulgus emittere? Quamvis non ignorem Regium saltem (b) dixisse, *Rectos decet collaudatio, & nec novum, nec insolens esse, ut bene gerentibus, etiam vivis, & presentibus, laudis tribuatur assensus, cum vel jura ipsa (c), Justissimos, & vigilantissimos judices, publicis acclamationibus collaudandi, omnibus dederint facultatem, & Plutarchus (d), hujus moris utilitatem commendans, has laudes, duces, & auctrices benevolentia Magistratum esse tradat, & tamquam lumen, & litorem aliquem gaudio de virtute concepto super adjicere,*

19 Et quod magis rem facit, in nobili illo Panegyrico, quem Plinius Trajano dixit, in quo seipsum, & omnes alios hujus generis Scriptores superavit, ut Justus Lipsius (e), Jacobus Cujacius (f), & Aldus Manutius (g) testantur, quam sit utile, & necessarium, Principes, etiam vivos & presentes, laudibus, quas merentur, extollere, & eosdem, suoque exemplo alios, ad virtutem sectandam hortari, elegantissimis verbis ostendit.

20 Et planè, si quæ de vivis adhuc Principibus, & Potentatibus scribuntur, vel collaudantur, veris falsa non misceant, neque adulationi, sed regulis historie deserviant, quæ ut idem Plinius (h) ait, *Non ostentationi, sed fidei veritatisque componitur, quæ sola in honestis factis sufficiens est, non usque adeò succensendus videri debet, qui hunc in se laborem susceperit*. Cum plures Magni viri suæ ipsi vitæ libros scripserint, ut Cicero (i), & Spartianus (k), ostendunt, & Tacitus (l), Socreri sui Agricola simile studium his verbis excusans. *At perique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt*. Neque id Rustilio, aut Scavo citra fidem, aut obtrectationi fuit. Et ea solum collaudatio à Platone (m) reprehendatur, *In qua ut cuncta, & maxime præferantur, falsa proferuntur*. In quod incidit illud Democriti, apud Stobæum (n), qui rectè facta collaudare honestum esse dicebat, mala verò laudibus vehere, adulterini, & impostoris animi esse indicium. Et Horatii (o) præclare monentis.

Qualem commendes etiam, atque etiam aspice, ne mox

Incutiant tibi aliena peccata pudorem.

21 Estque apud Tacitum, Plinium Juniores, Mamertinum, & reliquos Panegyristas, hæc protestatio, cessantis in suis laudationibus adulationis, admodum frequens, & præcipue apud Latinum Paccatum, quorum verba, ut & plura alia, quem in rem eandem adduci possent, brevitati consulens, missa facio, cum Moderno Epigrammatario (p) concludens.

Mortis honos est scire mori, vitæque Beata

Exitus est testis, qui sine labe fuit.



(x) Ammian. lib. 15.

(y) Plutarch. in Lacon.

(z) Joan. de Mena in triump. Mercur. copla 92.

(a) Trajan. Boccalin. centur. 1. Ragualli 54. pag. mibi

245.

(b) Psalm. 32.

(c) L. & virtutum, C. de stat. & imagin. l. Justissimos,

C. de est. res. provinc.

(d) Plutarch. in lib. an seni vit ger. Resp.

(e) Lipsius ex Sidon. in eleg. ejusd. Panorm.

(f) Cujac. in leg. 5. Imperator de jure fisci.

(g) Manut. in epist. ad Alois.

(h) Plin. Jun. lib. 6. epist. 16. & lib. 5. epist. 8.

(i) Cicero. lib. 5. fam. epist. 12.

(k) Spart. in Adrian.

(l) Tacit. in Agric. in princ.


(m) Plato de amor.

(n) Stobæus se rim. 14.

(o) Horat. lib. 1. epist.

(p) Oven. in Monost. Epig. 66.

EMBLEMA C.
MUNIMENTUM EX MONUMENTO.



Suspice Pantheon, Regum immortale sepulchrum,
Plusquam mortali culmina ducta manu.
Cælo certat humus; certant laquearia cælo,
Hispanos auro, quæ tegit urna Duces.
Te majus, nihil Orbis habet, nihil astupet Æther,
Tu nihil Austriadum funere majus habes.
Hoc opus ingentes non explevere Philippi,
Exples Major Avis, Magne Philippe, tuis.
Donavit cælo Manes Deus, Ossa Philippus,
Quis neget è vobis nil retinere solum?
Quisve sepulchralem molem cum spectat, ad astra,
Regia, qua ducit, non parat ire, via?

COMMENTARIUS.

Magnificum Templum à Catholico pariter, ac Potenti, & Prudenti D. Philippo II Rege nostro Divo Laurentio ex voto constructum, atque sacratum, propè pagum, qui vulgò dicitur: *El Escorial*, Hieronymianumque Cœnobium, & Palatium juxta illud ædificatum, inter omnia opera, quæ nostra, & antiqua secula viderunt, & admirationem merentur, longè eminere, atque aded jure, ac merito *Osculum Mundum miraculum* appellari posse, in eoque plusquam viginti auri milliones insumptos fuisse, non solum nostri, verum Exteri etiam Auctores (a), uno ore testantur, & lato carmine extulit Michaël Vander Antuerpianus, quod sic incipit:
*Cesareas Mòles, atque alta Palatia Regum
 Ne posthac Latium, aut Græcia jactet orans:
 Pyramides, & Aqueductus, mira Amphitheatra,
 Et Circus veteres inclita Roma premat.
 Prisca fides sileat vasti Miracula Mundi,
 Nam faciunt nostra ad secula, prisca nihil.
 Unus enim Hesperia Rex Maximus ille Philippus,
 Miracula exuperans omnia, condidit opus:*

Non

(a) Petr. Bertius, & Ortel. in Tab. Geograph. Lansius de incremen. Imper. cap. 2. pag. 11.
 Sin Oratior. pro Hispan. Petr. Matth. lib. 1. narr. 4. Bessol.

Non opus, at Molem, qualem neque tota vetustas
 Vidit, & hæc ætas non habitura parem, &c.

2 Quod carmen imitatus noster D. Sebastianus Covarr. (b), in hunc Hispanum hythmum contraxit:
*El Efesino Templo, la muralla De soberanas fábricas se halla,
 De la gran Babylonia, i del Egypto Que el tiempo ha consumido; i ha prescrito,
 Las Pyramides altas, i la talla Son cifra del Milagro raro al Mundo,
 Del Mausoleo de Caria, i quanto escrito Sepulcro de Filipo Rey Segundo.*

3 Hoc in Templo, sub Altare, quod *Majus* appellant, idem Rex Magnus, Caroli Maximi Parentis sui votum sequutus, sacellum fieri destinavit, quod ipsorum, antecedentiumque, & posterorum Hispania Regum Manibus sacretur, & in quo eorundem cineres, aut ossa pro dignitate recondentur, Reges Ægyptios, & alios æmulatus, qui similes pyras, & Mausolea magno ornatu, & incredibili sumptu, in similem finem, construxisse leguntur. Piam, egregiam, ac verè Regiam, tanti Patris destinationem, Pius ipsius Filius D. Philippus III. in effectum deduxit, & exquisito opere Ovatum, ex Pario Onychinoque marmore jaspide, & aliis pretiosis lapidibus multis coloribus vari-gatis, Repositorium condere cepit, adeò fabrè factum, ut nihil illi ad summam perfectionem peritissimi artifices requirere possint. Quod tandem D. Philippus IV. Rex, ac Dominus noster, Paternæ, & Avitæ Pietatis aequè, ac Regnorum successor, ultima, & excellentiori adhuc manu donavit, elaboratissimis urnis, quæ singulos Reges capere possint, ex Porphyretico lapide fabricatis, bracteatique, & auratis aeneis laminis circumplexis, & gradatim in gyrum miro ordine collocatis, tanta arte, talique Majestate, ut materia ibi cum opere, & opus cum materia contendere videatur, & illa rarius nihil, hoc nihil perfectius, & exactius inveniri possit, vel cogitari.

4 Huic sacello Pantheonis nomen inditum est, non tam quòd Regum corpora condant, qui Divorum appellatione, ut alibi (c) dixi, donari solent, hos enim Titulos Pietas nostrorum abhorret, quamquòd in Sanctorum omnium honorem dicatum sit. Et cum ei, ita perfectò, & absoluto, inscriptiones expeterentur, quæ hoc omne, quod diximus, paucis, pro ipsius Pantheonis foribus, denotent, Nos, utcumque, hoc Epitaphicum Carmen, quod hic lector, cernis, elaboravimus, ultimoque nunc Disticho addito, nihil planè aptius excogitari posse censuimus ad Emblema formandum, quod hucusque exhibitis colophorem imponat, & nostrorum Catholicorum Regum exemplo, reliquos Reges, ac Principes moneat, virtutum omnium firmitatem, ac Munimentum in memoria, & consideratione Monumenti, sepulchrique consistere, nihilque aliud ad Regium tumorem deponendum, quàm Mortis timorem prodesse, à qua nullam Diademata, opes nullæ, nec ulla imperia possunt eripere possidentem. Nam ut ait Ovidius (d):

*Tendimus huc omnes, metam properamus ad inanem,
 Omnia sub leges mors vocat atra suas.*

Et quæ, ut pulchrè dixit Horatius (e):

*Æquo pulsat pede,
 Pauperum tabernas, Regumque turres.*

Et eum sequutus Claudianus (f):

*Sub tua purpurei venient vestigia Reges,
 Deposito luxu, turba cum paupere mixti,
 Omnia mors æquat.*

Hæc enim, ut benè Alter:

*Sola ultricibus armis,
 Elatos frenans animos, communia toti
 Genti scepra tenens, æternaque fœdera servans,
 Et magnos parvosque terit: nam fortibus æquat
 Imbelles, populisque Duces, seniumque juvenem.*

Unde vulgaris, sed digna relatu hominum, cum calculis ludi Scacorum, postquam sacco includuntur, similitudo (g), ex qua noster D. Sebastianus Covarrubias (h), hoc Emblema confinxit:

*El Rey, la Dama, Arfil, Roque, Cavallo, Al fin del juego, por mi cuenta hallo,
 Cada qual destos tiene en el tablero Que en el saco el Peon entra primero,
 Su casa, su poder. i en el mudallo I al rematar los bienes, i los males
 Se guarda orden, i concierto entero. De aquesta vida, todos son iguales.*

Quod benè agnoscens Alphonsus Aragonum Rex, apud Panormitanum (i), requirenti, quænam res Principes, ac privatos, divites, ac pauperes exæquaret, respondit, *Civis*, significans, quod paucis habet Juvenalis (k):

*Mors sola fatetur,
 Quantula sint hominum corpuscula.*

Et

(b) D. Sebast. Covarr. Embl. 36. cent. 1.
 (c) Supr. Embl. 2. & 8.
 (d) Ovid. ad Liviam de morte filii.
 (e) Horat. 1. Carm. Od. 4.
 (f) Claud. 2. rapt. Proserp.

(g) De hoc ludò, qui apud Nos dicitur Axedrèz, vide congesta à Pantoja in tract. de Aleat. ex pag. 126.
 (h) D. Sebast. Covarr. cent. 1. Embl. 23.
 (i) Panorm. lib. 4. cap. 26.
 (k) Juven. Satyr. 10. vers. 173.

Et quod licet quis se attollat, manus, & spes ab Oriente in Occasum mittat: illa contrahet, & te intra te coget.

5 Et hac propter Ecclesiasticus (l) docet: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis. Quem locum, qui illustant, plura alia similia Sanctorum Patrum, & bonorum Auctorum adducunt. Sed pro multis valet ille D. Augustini (m), inquit: Consideratio hujus sententiae, destructio est superbiae, extinctio invidiae, medela malitiae, effugatio luxuria, evacuatio vanitatis, & jactantiae, constructio disciplinae, perfectio sanctimonie, preparatio salutis aeternae.

6 Et iterum (n), in specie de Regibus agens: Egredere ad sepulchra: obsecro videamus ibi mysteria, videamus dilapsam naturam, ossa corosa, corpora putrefacta: considera ibi quis sapiens, & quis prudens? Dic mihi, quis illic Rex, & quis privatus, quis generosus, & quis servus, quis sapiens, & quis insipiens? Ubi pulchritudo praesens, ubi frons radians? an non omnia favilla? non omnia vermis? non ne omnia putredo, & fetor? Hec animis inserentes, dilecti, & extremum diem in animo collocantes, dum habemus, convertemur ad Dominum.

7 Augustinus similis Divus Gregorius (o): Qui considerat (inquit) qualis in morte, semper paucidus erit in operatione, atque inde oculis sui conditoris circet. Nil quod transeat appetet: cunctis vitae praesentis desideriis contradicet, & penè mortuum se considerat: quia moriturum se minime ignorat. Perfecta enim vita est, mortis meditatio, quam dum justis sollicitè peragunt, carularum laqueos evadunt.

8 Et rursus (p): Quae enim sit carnis substantia, testantur sepulchra, quis paratum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui tangere carnem scaturientem vermibus potest? Caro itaque cum concupiscitur, pensetur quia sit exanimis, & intelligitur quid ametur. Nihil quippe sic ad domandum desiderium carnalium valet, quam ut unusquisque hoc quod circum diligit, quale sit mortuum, penset. Considerata enim corruptione carnali citius cognoscitur, quia cum illicite caro concupiscitur, tales desiderantur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur, dulcedo illius vermis, quia is, qui in desiderio carnalis corruptionis astat, ad fatorem putredinis anhelat.

9 Divus etiam Hieronymus (q) addit, Platonis (r) sententiam esse, omnem sapientum vitam, meditationem esse mortis; debereque nos praemeditari, quod aliquando futuri sumus, & quod velimus, nolimus, abesse longius non potest. Hosque vermes mortis, esse illas muræulas aureas vermiculatas argento, quas sponsus (s) sponsae auribus appendere parat, bene Octavianus Tuffus (t) animadvertit, addens, talem profecto cogitationem B. Franciscum à Borgia, conspectis in corpore Imperatricis vermibus, cedere mundo fecisse, & Societatis Jesu Religionem ingredi, in qua adeo virtutibus, & miraculis claruit, ut jam inter Beatos habeatur, & brevi solemnī Ecclesiae more in sanctorum numerum referendus speretur. Eique frequenter secundum Rivadeneiram (u), & Beyerlinchium (x), hæc vox frequens esse solebat, Augusta mors mihi vitam attulit. Et verè nam ut iidem subjungunt.

Si cupis adversus scelera fœdissima quæque
Vulnera, per faciem dem tibi promptus opem?
Cum te tupe aliquid tentant, fac illicò mentis,
Sese mors oculis offerat atra tue.

10 Salomon (y) etiam, qui Regum omnium Sapientissimus habitus fuit, exemplo suo omnes Reges admonuit, hac eadem mortis consideratione superbiam retundere, cum sciant, vel scire debeant, quòd etsi in ortu, & progressu vitæ aliquid à ceteris distent, & nobilitate, potentia, sapientia, rerumve affluentia præcellant, in occasu tamen (ut jam dixi) nihil differre, & tunc harum rerum omnium vanitatem cognosci. Dilici (inquiens) quòd unus utriusque sit interitus, moritur doctus similiter, ut indoctus, & idcirco tædia me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub Sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritus.

11 Et Jobus (z) in eadem memoria, & sepulchrorum, dum quis vivit, constructione, & contemplatione, prudentes homines magnum reperire thesaurum, his verbis insinuat, juxta explicatione, D. Thomæ ibidem à nostro Pineda relata: Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum. gaudentque vehementer, cum invenerint sepulchrum. Quem fortè thesaurum indicare Semiramis voluit, cum referente Plutarcho (a), loculo, quem sibi construxit, hanc inscriptionem apposuit: Si quis Rex pecunia indiguerit, is recluso hoc monumento, sumet quantam volet. Quod cum Darius post Reginae mortem tentasset, nihil in eo aliud invenit, quàm ejus Cinerem, & ossa, ingentem sanè thesaurum, si eo uti scisset, & quales quantæque divitiæ ex memoria, & contemplatione sepulchrorum colligi possint, animadverteret.

12 Huc quoque illud Agathonis Philosophi, apud Stobæum (b) referendum existimo, dum ad Re-

(l) Eccles. 7. 40.

(m) D. August. in tractat. de Spec. pec. cap. 1.

(n) Idem Serm. 1. ex 25. var. tom. 5.

(o) D. Gregor. lib. 12. Moral.

(p) Idem lib. 6.

(q) D. Hieron. in epist. ad Heliod.

(r) Platon. in Phed.

(s) Cant. 1. 11.

(t) Tuffus in Eccles. cap. 7. vers. 40. pag. 256. & 258.

(u) Rivaden. lib. 1. vitæ ejus, cap. 9.

(x) Beyerlinch. in Apoph. pag. 485.

(y) Salom. Ecclesiast. 2. 16. & 17. Conducti Epitaph.

de quo post Delirium Causa. in Polit. symb. pag. 225.

(z) Job 3. 21. 22.

(a) Plutarch. Apoph. 165.

(b) Stobæum Serm. de Magistratib.

Reges, & Magistratus maximè pertinere dixit, horum trium meminisse: Primum quòd imperant hominibus secundum, quòd secundum leges imperant. Tertium quòd non semper imperabunt. Ad quod sanè Apophthegma, omnis gubernantium institutio redigi potest, ut Fulvius Pacianus (c) latè prosequitur, & præcipuè Regum, qui cum nullum in terris, dum vivunt, syndacatum sui mali regiminis subeant, si hac mortis memoria, & ultimi divini judicii, quod ipsos, sicut & ceteros manet, non coercentur, & omnia sibi licere putent, in Tyrannos degenerabunt. Unde valdè expedit, ut precarium sibi imperium, & brevi transiturum agnoscant, ut alibi Tacitus (d) dixit, & alto sibi pectore figant illud Galfridi (e) ab Eusebio Noriemburgensi nostro relatum: Nom semper eris Princeps; sed summo Principi rationem reddes, cum quo convenit, illud Ecclesiastici, Omnis Potentatus brevis vita: sic & Rex hodie est, & cras morietur. Cum enim morietur homo hereditabit serpentes, & bestias, & vermes.

13 Quòd antidotum contra Regalis superbiae venenum, & ad debitam totius vitæ continentiam servandam, ita præsens, & proficuum esse judicavit Philippus Macedo, ut secundum Ælianum (f), cuidam ex suis Aulicis pueris injunxerit, quotidie hoc ei manè in memoriam revocare: Memento Philippe quòd homo es. Neque ipse antea foras prodiret, vel quemquam ad se adeudum admitteret, quàm hoc ter ab ipso puero proclamaretur. Quæ verba, quid aliud sonare volunt, nisi: Memento Philippe, quòd non semper imperabis?

14 Callisthenes etiam Philosophus moriens, ut tradit Plutarchus (g), Alexandro Magno, ejusdem Philippi filio, qui post subactum Orientem, perniciose adulatione (perpetuo Regum malo, ut ait (h) Curtius) seductus, vix se mortalem, & ceteris hominibus moriendi necessitate persimilem, judicabat, his verbis loquutus narratur: Si Deus es, beneficia largiri mortalibus, non sua eripere debes: si homo, id quod es, semper te esse cogita.

15 Nempè secundum Aristotelis (i) finitionem, imbecillitatis exemplum, temporis spoliolum, fortunæ lusum, inconstantiae imaginem, invidiæ ac calamitatis trutinam, reliquum verò pituitam, ac bilem. Adde & umbram vanam, ciqueque transitoriam, quod Hispanum idioma veluti profert, dum homo in eo Hombre vocatur, simili voce, similem ferè umbram adumbrans, ut non inscitè Cardanus (k) animadvertit. Quam juvat illud Æschylli apud Stobæum (l), hominem umbram, & quidem fiani, his versibus appellantis:

Caduca molitur genus mortalium,
Neque certa res est ulla, nec tuta, haud magis,
Quàm umbra fumi.

16 Et Luciani (m), qui vitas hominum bullis in aqua surgentibus, similes facit, quarum aliæ simul atque natæ sunt, protinus evanescent, aliæ paulò diutius durant, & omnes brevissimis quibusdam intervallis aliæ aliis succedunt. Qui similitudo fecit locum Adagio, Homo Bulla, in cujus illustratione Erasmus (n) plura congressit, & plurima alia, summam hanc vitæ humanæ brevitatem, & vanitatem, etiam in Regibus, denotantia, Philippus Camerarius (o), Franciscus Mendoza (p), Aloisius Novarinus (q), & Justus Lipsius (r), qui & illum morem ab Ægyptiis ductum exponunt, mortis simulachra in conviviis circumferendi, ut hujus brevitatis convivæ admonerentur, quod in Trimalcionis cœna, quam Petronius (s) refert, factum cum esset, ipse Trimalcio in hanc vocem prorupit:

Heu beu nos miseros, quàm totus homuncio nihil est,
Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus,
Ergo vivamus dum licet, estquè bene.

17 Hinc & M. Varro (t), moris apud Romanos fuisse inquit, sepulchra circa vias publicas extrui, ut prætereuntes admonerentur, & se fuisse, & illos esse mortales. Et Philippus Camerarius (u) latè recenset, multis Regibus, & Imperatoribus mortis insignia ante se deferri, usitatum fuisse, ut dignitatis superbiam retunderent. Et Græcis, eo ipso die, quo coronabantur, sedentibus in Regio throno, Cæmentarium aliquot lapidum genera proponere solitum, ut deligeret unum ex his, ex quo sibi tumulum fabricari vellet, sub hac formula:

Elige ab his saxis, ex quo, Augustissime Caesar,
Ipse tibi tumulum me fabricare velis.

18 Et ibidem addit, qualiter Maximilianus I. Imperator, sibi vivus sarcophagum, & omnem suppellectilem funeri suo necessariam paraverit, sibi construxisse inquiens, quæ maximè sibi placeret. De Alexandro quoque Severo, & Xyphilinus (x) enarrant, quòd senio jam confectus, cum urnam sibi præparasset, ut in ea mortuus sepeliretur, paulò antequàm decederet è vita, eandem

Gggg ad

(c) Pacian. de Probat. lib. 2. cap. 44.

(d) Tacit. 1. histor.

(e) Galfrid. apud Euseb. in Theoph. pag. 340.

(f) Ælian. de Var. hist. lib. 8. cap. 15.

(g) Plutarch. in vita Alexand.

(h) Curtius lib. 8.

(i) Aristot. apud Stob. Serm. 96.

(k) Cardan. lib. 1. de Consolat.

(l) Stob. Serm. de homine.

(m) Lucian. in Charon.

(n) Erasm. in hoc Adagio, pag. 712.

(o) Camer. centur. 1. succer. cap. 12.

(p) Mendoz. in 1. Reg. epa. 1. n. 27. sect. 1. ex pag. mibi 132.

(q) Novar. in Elect. sacris excursu 7. & 9. ex pag. 190.

(r) Lips. in Saturn. cap. 19.

(s) Petron. in Satyr.

(t) M. Varro lib. 5. de Ling. Latin.

(u) Camer. dist. cap. 12. & cent. 2. cap. 53. ex pag. 226.

(x) Dion & Xiphil. in ejus vita.

ad se perferri jussit, manibusque contrectavit: Tu (inquiens) *virum capies, quem totus Orbis terrarum capere nunquam potuit.* Quos, in simili pietate, & salubri preventione, adhuc superavit D. Imperator noster Carolus V. dum in cœnobio Divi Justi, in quod se, abjecto Imperio, receperat, vivens adhuc & sanus, tamquam jam mortuus, in tumulo poni jussit, & officio pro defunctis fieri solito, mortualique sacro mæsto Monachorum cantu commendari. Exequiale carmen ipse funeri suo superses exaudiens, simulque cum ipsis, & reliquis, qui ex suis stabant, lachrymantibus famulis, placidam sibi quietem beatas inter sedes implorans, ut latius post plures Auctores, qui de ejus gestis scriperunt, novissimus Petrus Ostermanus (y) recoluit.

19 Sed his relictiis, ut filium, mentemque nostri Emblematis repetamus, & quàm sit mortis memoria potens, ad animum contra omnia vitia, & demonis incursiones, dum vivimus prænuendum, elegans alia similitudo potest adduci ex Apum natura, quæ etiam si inter se tumultuantur, & bellum conserere velint, modico pulveris jactu illico quiescunt, ut præter alios Virgilius (z) tradit, sic de eis in Georgicis inquit: *Hic motus animorum, atque hæc certamina tanta, Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.*

Quæ extremi finis, & pulveris cogitatio, si Reges omnes invaderet, ut benè Tuffus (a) animadvertit: *Nec Regno, nec Regiis opibus esserentur: cessarent bella, & quisque suo contentus quiete ageret.*

20 Idem ipsum munimentum ex monumento, aptius adhuc & elegantius ex similitudine Ichnemonis colligi potest, parvi quidem Ægypti serpentis, sed ea astutia præditi, ut cum Cerastis, & aliis validioribus aspidibus pugnaturus, se, (Plinio (b), Ælianoque (c) referentibus) limo sapius immergat, ac siccat Sole, mox ubi pluribus eodem modo se coriis loricavit, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens, istos irritos ob limi crustras aversus excipit, & hostem interficit Ex quo ultra Joachimi Camerarii Emblema, hoc Ego in rem nostram non ineptè confici posse putavi:

*Ichnemon corpus tetro cur pulvere turpas?
Serpentum vires pulvere vinco levi.
Ut coluber cedat, non ensis, mucro, sagitta,
Sed satis est coram pulveris atra dies.*

Et eodem luto se dum ad pugnam cum Tartaris parant, ut eorum sagittis resistant, Seres solitos obarmari, ex Vicentio Historiali (d), & Divo Antonino (e) colligimus. Ethodie Æthiopiæ Regem, quem Presbyterum Joannem vocamus, nunquam foras prodire, quin ei Crux, & vas terræ præferatur, Nicolaus Causinus (f) ex aliis recoluit, & ad nostri Emblematis mentem aptavit.

21 In libro quoque Machabeorum (g), aliud symbolum ad nostrum, etiam pertinens, reperitur, dum Simon, patris, fratrumque suorum tumulo: *Circum posuit columnas magnas: & super columnas arma, ad memoriam æternam, & juxta arma, naves sculptas.* Sic indicans, totam vitam nostram fluctuanti navigio, sive navigationi, similem esse, & infelicem securumque mortis portum, statim atque nascimur contendendum, in quo demum quies, & Beatitudo nostra consistit. De quo simili, integrum caput Joannes Filesacus (h) scripsit. Et Nicolaus Causinus (i) aliud, de Ægyptiis Pyramidibus agens, in quarum summitate præsepia erant, urnarum nostri Pantheonis similitudinem referentia, ad quæ demum Reges, tot laboribus exantlatis, tot curis abjectis, & ablegatis, æterna requie fruiuri conscenderent.

22 Quam nos etiam nostris, post longam, & benè actam vitam, supplices exoramus, & cum Boetio (k) ad supremam hanc laborum metam, atque mercedem his carminibus invitamus.

*Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis,
Terrenas habitans libido mentes,
Hic erit vobis requies laborum
Hic portus placida manens quiete,
Hoc unum miseris patens asylum.*

Et illud, quod legimus apud Senecam (l), memoriæ mandare consulumus: *Nullum est majus solatium, quàm ipsa mortalitas.* Et Epigrammaticarii Angli (m).

*Quod Reges audire timent, ac dicere servi,
Ipsa tibi dicit Fama, memento mori.*

FINIS.

IN-

(y) Osterman. in Palladio Pacis extant. lib. 1. cap. 2. Camer. ubi supr.
 Sandov. in Carolea, 2. tom. pag. mibi 826. (g) Machab. 2. 13. 29.
 (z) Virgil. in Georg. lib. 4. (h) Filesac. 2. tom. Select. in Euripo hujus seculi cap. 2.
 (a) Tuffus in Eccles. 7. 40. pag. 257. (i) Causin. in Pol. Symb. lib. 12. cap. 46. quem etiam vide
 (b) Plin. lib. 8. cap. 24. pag. 180. alia de montis memoria utilitate adducens, lib. 3. c. 38. & 39.
 (c) Ælian. de Histor. anim. lib. 7. cap. 15. (k) Boet. lib. 3. met. 11. & vide Embl. 25. D. Sebast.
 (d) Vincent. Histor. in speculo. Covarr. cent. 1. del meson de la muerte.
 (e) D. Anton. in Histor. (l) Senec. lib. 6. Nat. quest. cap. 2.
 (f) Causin. in Polist. Symb. lib. 5. cap. 4. pag. 225. (m) Ovens lib. unie. Epigram. 115. pag. 113.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

QUÆ IN HOC OPERE CITANTUR, ET ILLUSTRANTUR.

Prior numerus Paginam, sequens marginalem signat.

| | |
|--|---|
| <p>Ex Genesi.</p> <p>CAP. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas, pag. 2. num. 5. Eod. cap. vers. 26. Faciamus hominem, &c. 251. 11. Cap. 2. Fecit Deus hominem, &c. 442. 17. Eod. cap. vers. 17. Non comedetis de arbore vitæ, &c. 405. 5. Cap. 13. vers. 17. Perambula terram, &c. 370. 15. Cap. 15. vers. 1. De protectione Dei erga Abraham, &c. 125. 17. Cap. 30. vers. 34. De virgibus Jacob circa canales, 157. 2. Cap. 4. vers. 46. De Joseph visitante Ægyptum, 370. 13.</p> <p>Ex Exodus.</p> <p>CAP. 4. vers. 10. De excusatione Moysis, 209. 28. Cap. 7. vers. 31. De eodem recusante legationem ad Pharaonem, 501. 28. Cap. 17. vers. 8. De Oratione Moysis in pugna, 580. 7. Cap. 18. vers. 22. Partito in alios onere, 331. 13. Ibidem. De eodem Moysi graves causas sibi reservante, 390. 22. Cap. 22. vers. 22 & 23. Viduæ, & pupillæ non nocebis, 387. 5. Cap. 28. vers. 30. De veritate in veste Sacerdotis, 283. 7. Cap. 34. vers. 6. Deus misericors clemens, 455. 21.</p> <p>Ex Numeris.</p> <p>CAP. 11. vers. 1. Cur affixisti servum tuum, &c. 82. 9.</p> <p>Ex Deuteronomio.</p> <p>CAP. 1. vers. 16. De populo audiendo, & judicando, 357. 6. Cap. 10. vers. 17. & 18. De æqualitate justitiæ, 383. 20. Cap. 17. vers. 14. De officio boni Principis, 116. 9. & 506. 9. Ibidem vers. 15. De exteris ad Reipub. officia non admittendis, 114. 2. Ibidem vers. 17. De Thesauris Regum, 216. 17. & 218. 27. Ibid. vers. 18. De libro legis à Sacerdote portando, 400. 5. Cap. 21. vers. 20. De nimio vino vitando, 207. 41. Cap. 25. vers. 3. Pro mensura peccati, &c. 434. 11. Cap. 27. 6. De holocaustis pro victoria, 583. 27. Cap. 28. 44. Ipse erit in caput, 70. 1.</p> <p>Ex Libro Josue.</p> <p>CAP. 13. & 20. Deus pro vobis pugnabit, 57. 13. Cap. 6. De muris Jerycho, ad orationes ruentibus, 580. 20.</p> <p>Ex Libr. Judicum.</p> <p>CAP. 3. 31. & 32. De victoria in vomere Aod, & Sangar, 430. 13. Cap. 7. De Gedeone Reges victos calcante, 567. 26.</p> <p>Ex Libris Regum.</p> <p>LIB. 1. cap. 1. vers. 17. De Saule superbiante, 24. 11. Cap. 2. vers. 7. Dominus pauperem ditat. 34. 19. Eod. vers. 31. De punitione Heli, ob filios malè educatos, 130. 27. Cap. 3. vers. 9. & seqq. de Salomone petente cor audiens, 357. 4.</p> | <p>Cap. 7. & 28. De Secretariis Davidis, & Salomonis, 272. 29. Cap. 8. vers. 20. & cap. 9. vers. 16. De Rege pugnante pro populo, 559. 3. Cap. 10. in fin. De dissimulatione Joab, 243. 30. Cap. 12. De Samuele se coram populo syndicante, 291. 61. Cap. 18. De descriptione Regis Tyranni, 115. 8. Cap. 18. De Abdia Prophetæ alente, 225. 21. Cap. 28. vers. 37. & 39. De Davide Deum orante, 58. 14. Lib. 2. cap. 3. vers. 13. & 20. De dissimulatione Absalonis, 241. 30. Cap. 8. vers. 5. De Rege ad populum judicandum electo, 365. 29. Cap. 15. De Absalonis promissione in populo faciliè audiendo, 357. 5. Cap. 2. vers. 16. De Davide despiciente injurias Semei, 991. 23. Cap. 21. vers. 17. De Rege, ne exeat ad bellum, 560. 9. Cap. 22. vers. 44. Custodit me in caput gentium, 70. 1. Cap. 24. De peste ob peccatum Davidis, 119. 6. Lib. 3. cap. 1. vers. 9. De voto Salomonis pro Sapia, 123. 5. Cap. 3. De Ædificatione Templi Salomonis Deo grata, 225. 2. Eodem cap. vers. 28. & seqq. De Judicio Salomonis inter mulieres, 367. 40. Ibid. in fin. De laude Salomonis ob hoc judicium, 137. 24. Cap. 11. vers. 35. De Rege, lucernæ comparato, 66. 2. Cap. 12. De damoso Consilio juvenum ad Robeamum, 280. 37. Cap. 21. De veritate Regibus odiosa, 285. 24. Cap. 22. vers. 4. & 8. De excusatione Michæ, & Elisei in legatione ad Regem, 286. 29. Lib. 4. cap. 8. vers. 19. De Regis, & lucernæ comparatione, 66. 2. Cap. 11. De bono Regimine Joas Regis ob consilia Ioiade, 256. 39. Cap. 20. vers. 16. De punita superbia Ezequiae, 24. 11.</p> <p>Ex Libris Paralipomenon.</p> <p>LIB. 1. cap. 15. De damno populi ob defectum Principis, 108. 17. Cap. 19. De Josaphat suum Regnum visitante, 569. 11. Cap. 16. vers. 3. De torta panis in populum distributa, 196. 8. Cap. 23. De lege Deuteronom. Joas in manibus data, 400. 5. Cap. 24. vers. 3. De veritate Regibus odiosa, & punita, 284. 24. Eodem cap. 24. & 26. De punitione Joas, & Ozias propter elationem, 24. 11. Lib. 2. cap. 1. De Assa à Deo derelicto, 38. 14.</p> <p>Ex Libris Esdræ.</p> <p>LIB. 3. cap. 3. & 4. De vi veritatis, 283. 9.</p> <p>Ex Libro Esther.</p> <p>CAP. 5. De Artaxerxis severitate, 358. 17. Cap. 13. & 16. De superbiis titulis Artaxerxis, 45. 2. Cap. 15. vers. 10. De oculis Assueri ardentibus 68. 15.</p> <p>Ex Libro Judis.</p> <p>CAP. 1. De locustis agros vastantibus, 106. 8. Cap. 16. vers. 22. De holocaustis ob victoriam, 583. 27.</p> |
|--|---|